



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani
Ivrvim Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum
Patroni**

Rebuffi, Pierre

Coloniae, 1610

Forma collationis & prouisionis ordinariorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

Forma collationis & prouisionis ordinariorum.

Martinus Dei ac sanctæ sedis Apostolicę gratia Nemaufen. episcopus dilecto nobis in Christo N. clerico, in Decretis doctori, rectori parochialis ecclesiæ N. nostræ diocesis salutem in domino. Quia de literarum scientia, vitæ ac morum honestate, aliisque virtutum meritis, quibus illarum largitor personam tuam insignitur, fuimus fama ac fide dignis testibus certiorati, quæ nos ad gratiam tibi faciendam excitant.

2. Itaque volentes te iuxta tuam personæ merita favore prosequi gratioso, parochialem ecclesiam N. nostræ diocesis nunc per liberam resignationem de ea per prouidum virum N. presbyterum dictæ ecclesiæ tunc rectorem in manibus nostris factam, & per nos admissam ad præsens vacantem tibi, quem ad regimen & gubernationem ipsius sufficientem & idoneum esse reperimus, cum omnibus iuribus, & pertin. vniuersis conferimus & prouidemus, ac de eadem te coram nobis constitutum per pilei traditionem in manibus tuis inuestimus, ac in corporalem possessionem, seu quasi eiusdem ecclesiæ N. præsentium tenore cum iuribus & pertinentiis supradictis inducimus, recepto prius abs te solito in talibus præstari iuramento, & iure nostro saluo.

3. Quocirca vobis vniuersis & singulis personis ecclesiasticis, notariis & tabellionibus publicis per ciuitatem & diocesim nostras constitutis & subditis nostris auctoritate prædicta, tenore præsentium committendo mandamus, quatenus vos, aut alter vestrum, qui super hoc fuerit requisitus, ad dictam ecclesiam accedatis, seu alter vestrum accedat ad prædictum N. vel procuratorem eius nomine, & pro eo in corporalem possessionem prædictæ ecclesiæ N. iuriumq; & pertinentium prædictorum inducatis vice nostra, & defendatis inductum, amoto ab ea quolibet illicito detentore.

4. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præfentes literas collationem & prouisionem nostras in se continentes fieri, & per secretarium nostrum infra scriptum subscribi & publicari fecimus & mandauimus: nostrique sigilli magni iussimus appensione communiri.

5. Datum Nemaufi anno 1551. die 6. Martij, præsentibus Ioanne Ruffiat presbytero, & Petro Rostaing aurifce testibus ad præmissa vocatis & adhibitis. De mandato reueren. do. Episcopi, P. Rilliot. secret.

Requisita in literis collationum.

Quia in collationibus multa sunt dubia, ob id formam inserui, in qua *quinque partes in collationis forma sunt quinq; partes. Prima continet salutationem, & collationis causam. Secunda ibi, itaque collationis*